



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Dormi Secvre: Vel Cynosvra Professorvm Ac Stvdiosorvm Eloquentiæ,**

in qua Centvm Et Viginti Themata Oratoria. Non Solvm Stvdiosis, Sed &  
Professoribus eloquentiæ, ac pietatis veræ amantibus utilissima &  
pernecessaria explicantur ; Cum Indice rerum atq[ue] verborum locupleti

**Tympe, Matthäus**

**Coloniæ Agrippinæ, 1650**

XXXVII. Nihil esse fortius veritate.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38994**

*In EPILOGO hortaberis Auditores, ut cum Rex Regum, Deus, tanta fortitudine & potentia amaverit Regem, debitam ipsi obedientiam promptissime præstent.*

*Nihil esse fortius MULIERE, docebitur integra Oratione in fine libri.*

### XXXVII. NIHIL ESSE FORTIVS Veritate.

**E**XORDIUM *ab Auditorum persona, & ipsa re,* quòd cum placido vultu, erectis auribus, & attentis animis summam benevolentiam in eos, qui ante te dixerunt, declararint, rogare te idem tibi, quòd nunc demum audituri sint id, quòd res omnes alias potentia longè superat.

**PROPOSITIO:** Quòd quanquam magnæ sint vires generosi vini, magna potentia Regū, multæ non tam laudes, quàm fraudes mulierum, te tamen probaturum hæc omnia jure optimo veritatis fortitudini semper fasces submisisse.

**CONFIRM. I. LOCUS,** *ab effectis,* quòd veritas omni tempore omnes etiam potentissimos suos hostes fortiter prostraverit. Malleus ille universæ terræ, & pater mendacii dæmonarches eò semper omnes conatus direxit, ut veritatis lumen extinguere: Sed revera oleum & operam, quòd ajunt, perdidit. Frustra eam oppugnavit per Judæos, frustra per Paganos, frustra per Hæreticos, frustra per infinita genera persecutionum. Vt enim aquæ Diluvii Palatia Regum obruebant atque dejiciebant, Arcam verò Noë semper magis ac magis attollebant: ita persecutiones regna mendacii facile destruunt. Veritatis verò regnum non modo non destruunt sed etiam illustant. Refert Theodorus 76: Hæreses, usque ad sua tempora exortas, veritatem oppugnasse, omnes vero illas, paucissimis exceptis, fuisse extinctas. Augustinus numerat 88.

Hære-

Hæreses, ex quibus plurimas testatur periisse. Nos numeramus usque ad tempora Lutheri 200. hæreticorum diversissimas familias, ex his autem quæ obsecro supersunt? Fuerunt, inquam, usque ad Lutherum, ut minimum, ducenti Hæresiar-  
 chæ, quorum multi habuerunt multos Episco-  
 pos, multas Ecclesias, multos potentissimos pa-  
 tronos (Imp. & Reges,) scripserunt libros inou-  
 merabiles, ut viderentur nunquam posse deficere,  
 & tamen vi veritatis oppressi ita defecerunt, ut  
 jam non supersint nec ipsi, nec libri ipsorum.  
 Quàm firmis radicibus nixa videbatur Hæresis  
 Ariana temporibus Athanasii & Hilarii? & tamen  
 evanuit, velut *pulvis, quem projicit ventus à facie ter-  
 ræ*. Ante annos 200. regnabat in Gallia Hæresis Al-  
 bigensium, abundans & copiis militum, & viris  
 doctis & potentia: & tamen ubi nunc sunt Albi-  
 geneses? Nihil enim est firmum, nihil stabile, nisi  
 quod radici innititur Veritatis. Et certè quemad-  
 modum candela videtur extingui cum emungi-  
 tur, sed revera clarius lucet: ita Veritas, etsi inter-  
 dum vi & artificio videtur extingui, tamen appa-  
 ret illustrior, & lucet clarius, quàm si non fuisset  
 impugnata. Undè rectè Poëta quidam Veritatem  
 temporis omnia aperientis filiam appellavit. Sed  
 multo gravius hoc ait Christus, in hæc verba lin-  
 guam solvens: *Nihil operum, quod non reveletur, ni-  
 hil occultum, quod non sciatur*. Emergit, emergit tan-  
 dem veritas, neq; ullis unquam machinis ita pre-  
 mitur, ut opprimatur. Non minus ergo verè,  
 quàm eleganter Cicero in Cæliana defensione  
 hanc gravissimam, & dignitatis plenissimam sen-  
 tentiam ex Æschine probè interpretatus est: *O  
 magna vis veritatis, quæ contra hominum ingenia, cal-  
 liditatem, solertiam, contraq; omnium insidias facile se  
 per seipsam defendit*. Et Q. Fabius Maximus, apud  
 Livium, in illo pulcherrimo sermone, quem ha-  
 buit

Luc. 16.

buit cum L. Paulo adversus Hannibalem proficiente: *Veritatem*, inquit, *laborare nimis saepe ajunt, extingui nunquam.*

Ad hæc tanta vis est Veritatis, ut illius hostes ei per saepe testimonium inviti dare compellantur, & per ipsorum jugula non rarò erumpat.

II. *Locus ab aliis ejus adjunctis*, quòd ea sola sit æqua; vinum iniquū, iniquus Rex, iniqua mulier: quòd ea sola æterna sit, cætera interitui obnoxia.

In PERORATIONE monebis Auditores, ut non solum tanquam æquissimi veritatis judices pro Veritate sententiam ferant, sed etiam omni tempore Veritatem, tanquam charissimam omnipotentis Dei filiam, colant, ament, observent; neq; hac in re inferiores sint Ethnicis, qui Veritatem tanti fecerunt, ut eam cæli civem esse, & solam convictu Deorum frui dixerint.

### XXXVIII. DECLAMATIVNCVLA

*ad studiosam juventutem de Veritate  
unicè complectenda.*

**E**XORDIUM ducetur ab occasione huius Declamationis: Quòd superioribus diebus in Isocratis locum incideris, ubi Nicoclem Regem hortatur, ut Veritatem sic in se apparere sinat, ut dicta sua plus ponderis habeant, quàm aliorum sacramenta.

PROPOSITIO: Proinde te pro tenuibus ingenii viribus de Veritate unicè amplectenda dicturum, maximè cum homo natura ad eam indagandam sit proclivis & propensus.

CONFIRM. I. *Locus*, ducetur ab excellentia, Luc. 1. v. 6. 3  
quam inde docebis, quod Deus Psal. 30. v. 6. dici- Esa. v. 4.  
tur: *Deus veritatis*, & Spiritus Sanctus apud S. Ioan. Demosth. in-  
*Spiritus Veritatis*, & Christus ipse se hoc nomine interrogatus,  
compellavit, dicens: *Ego sum via, veritas, & vita: quid Deo si-  
arque etiam coram Præside Pilato contestatus est, mile habe-  
rent homi-*

Pars I.

K

se ve-